

Est ne praedicatio poenitentiae sumenda ex lege vel ex euangelio?

„Poenitentia ex lege tantum est dimidium poenitentiae“¹⁹⁶ inquit Lutherus, quia sine euangelij declaratione nec vera, nec integra est poenitentia, quae tantum ex lege praedicatur. Euangelium vero recte dicitur praedicatio poenitentiae videlicet seruata partium distinctione et cuiusque partis proprietate.

5

Quid igitur de singulis partibus poenitentiae docet lex,
quid euangelium?

In lege proponitur accusatio omnium peccatorum, videlicet quae sunt violationes mandatorum legis. Inde igitur ordiendae sunt conciones poenitentiae. Sed dolores, qui oriuntur ex lege, tantum seruilem timorem efficiunt.

10

Quare, vt contritio sit salutaris et excitetur filialis timor legis concionem, quae simpliciter est vox condemnationis et maledictionis, temperari necesse est ex euangelio, quod proponit spem veniae pec-[111:]catoribus et monstrat ideo Deum concludere omnes sub peccatum, vt omnium misereatur.¹⁹⁹ De fide lex nihil dicere potest ante reuelationem euangelij, sed haec pars poenitentiae tota est ex euangelio, quia lex de mediatore, quo fides tantum nititur, sine euangelio nihil docet.

15

Quod incredulitas in Filium mediatorem arguatur proprio ab euangelio arrosum a Ienensibus¹⁹⁷ exstat in Enarratione Philippi in 16. cap. Iohannis editione Argentoratensi, pagi. 706 et 708.¹⁹⁸

Ideo etiam lex peccatum illud summum, maximum, ultimum et nulla satisfactione piandum in tota aeternitate videlicet ignorationem Filij, incredulitatem, contemptum Filij et desperationem non arguit, sed hoc peccatum ex solo euangelio patefit et arguitur.

20

¹⁹⁶ Vgl. Martin Luther, Disputatio contra quosdam Antinomos (1537), in: WA 39/I, 345,30f.

¹⁹⁷ Vgl. die „Warnung vor dem unreinen Catechismo“, E 1r, unsere Ausgabe, Nr. 5: Warnung vor dem unreinen Catechismo (1571), 350.

¹⁹⁸ Vgl. Philipp Melanchthon, Enarratio in evangelium Ioannis (1546), in: CR 15, 354. Die Seitenzählung bezieht sich auf die zeitgenössische Straßburger Ausgabe, die unter dem Autorennamen Caspar Cruciger d.Ä. in den Druck ging: IN EVANGELIVM IOHANNIS APOSTOLI Enarratio Caspari Crucigeri, recens edita. [...], Straßburg 1546 (VD 16 C 5855), 706. 708.

¹⁹⁹ Vgl. Röm 11,32.